

Thomas Lindemann

**Programma quo ad Sacrum Funerale Quod Vir ... Joachimus Lohrman/ civis
huius urbis primarius, Filiae suae dilectissimae, Virgin ... Ursulae paratum
expetit, Omnes omnium ordinum Cives Academicos peramanter invitat : [Rector
Academiae Rostochiensis Thomas Lindeman, I.U. Doct. & Professor]**

Rostochi[i]: Pedanus, 1628

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770852688>

Druck Freier  Zugang



Lindeman, T.

in

U. Lohrmann.

Rostock. 1628.

49





PROGRAMMA
quo ad
SACRUM FUNERALE
Quod
VIR PRÆSTANTISSIMUS
JOACHIMUS Lohrman / civishu-
jus urbis primarius, Filiae suæ dile-
ctissimæ,
Virginis mellitissimæ, pudicissimæ
URSULÆ
paratum expetit,

Omnes omnium ordinum Cives Aca-
demicos per amanter invitati.



Rostochi
Literis Joachimi Pedani, Acad. Typ. Anno 1628.



RECTOR
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS
THOMAS LINDEMAN.
J. U. Doct. & Professor.

DYrrhonem Eleensem
naturalium rerum ortus, obitus
& interitus indagantem, subinde
hortos & sylvas obambulantem,
arborum & herbarum mutationes
secum pensitantem Homerū
istum nobilem versum : *Οὐ περ
φύλακα γένει τοῦδε οὐ καρδιῶν.*

Tale quidem genus hominum, quale est foliorum inge-
minare, & sub foliorum subito virentium & deciden-
tium mutatione humanæ vitæ fugacitatem inculcare,
solitum legimus. Nobis Christianis non Homerus qui-
spiam, sed Jehova ipse per Prophetas & Apostolos ver-
sus multò prægnantiores & penetrantiores in verbo suo
præscribit, quibus hominum genus vento, flori, fœno,
bullæ, umbræ & similibus fugacissimis rebus comparat,
imò subinde in naturæ hortum & imprimis hocce autum-
nali tempore prodire, arbores, herbas flores, vel eorum
dem vestigia contemplari jubet: Vére novo arbores,
quæ vestitæ foliis, nymphulis & gemmulis ornatæ lu-
xuriabant, herbæ & flores qui colore mirabili arte plus
quam

quam Apellea paradisum hunc terrestrem exornabant,
hominum oculos & animos fragrantissimis odoribus
quasi fascinabant; Ecce nunc conspicis naturali succo
subtracto flaccescentes, aridos, arbores foliis nudas, tri-
stes. Singulare vero in his omnibus est mysterium,
quod arbores, quo generosiores sunt eo citius folia ab-
ciunt, quod ignobiliores, eo foliorum tenaciores. My-
sterium itidem est, quod lappæ, cardui, sentes, lolia, a-
liæ & similes herbæ noxiæ & inutiles sine ulla cultura ex-
crescant, longè latèq; se extendant, aliis herbis alimenta
subtrahant, imò easdem subinde suffocent, quin & ipsam
tellurem corrumpant & inficiant, nec tamen Æoli vio-
lentia vel hyemis injuria intereant. E contrario herbæ &
flores alij fragrantiores, quod pulchriores & preciosio-
res, eo citius concidunt flaccescunt & evanescunt. Cer-
tè natura rerum humanarum Dædala mater homines
non aliter ac herbas tractat, bonos nevercante manu
premit, decutit, varia fortuna exercet & exercitatos ad
se evocat; malis è contra carduis indulget, lolia excre-
scere & virescere & amplificari sinit. Quo Mantuanus
Poëta respiciens canit:

Terra malos homines, & noxia gramina nutrit
Ast melius semen ferre recusat humus,
Mitior est propriis alienaq; pignora semper
Tractat inhumana dura neverca manu,
Vir bonus est cœli, malus est telluris alumnus,
Quos igitur cœlum diligit, odit humus.

Hinc humanæ vitæ folia, quo beatiores animas vestiunt
eo lubentius & ocios decidunt, herbæ quo suavientio-
res sunt, eo citius exspirant, puellulæ cœu violæ quo Deo
sunt

sunt gratiōres, cōcūtius ante hyemis hirsutā rigores in
Cælestia Tempe & Elysios campos transferuntur: ov. 28.
Φιλέα θεός Δυοβηνόποτε Θεός. Hinc Agamedi & Triphonio,
item Cleobiac Bitoni p̄r̄mum pro benemeritis à Diis
postulantibus soporem facilem ast lethalem obtigisse
atq; ita eos morte subita redhostimenti loco donatos
esse Poetæ referunt: Praxeos hujus, numine divino di-
rectæ, exemplum non proletarium, sed nobile & singu-
lare nobis exhibet virgo pudicissima mellitissima U R-
SULA Lohrmans/ quæ anno 1610. 13. Martij in hoc mun-
dana horto plantata, ex radice p̄aclara, patre viro spe-
ctatissimo JOACHIMO Lohrman/ civi hujus urb̄is pri-
mario nostro ordini faventissimo, affine nostro dilecto,
nec non matrona lectissima, METTA B E C H M A N-
NIA matre, parentibus honestissimis in hanc lucem e-
dita, la vacro regenerationis renata, irrigata, excrescere
primis annis feliciter cepit, veræ Religionis principiis
imbuta, virginalibus virtutibus à teneris exculta, eas-
dem non cerussa vel purpurisso, sed veræ piætatis splen-
dore exornavit, precibus vacavit, iisq; se parentesq; suos
jam sénescentes Deo commendavit. Ante aliquot se-
ptimanas sörorem suam M A R G A R E T A M, viri p̄æ-
stantissimi DIDERICI Wulffrath/ civis primarij, affinis
nostrj conjugem desideratissimam p̄maturo obitu ex-
hoc vitæ ergastulo evocatam acerbe luxit. Cum vero
viduum superstitem luctu ex tam inopinata & subita
conjugalis nexus dissolutione penè fractum, curis do-
mesticis emaceratum cerneret, compassione quasi com-
mota oneris œconomici se participem fecit, idq; tam se-
dulò ac effictim ac si rem propriam ageret: sustinuit.
Planta namq; hæcce nobilis radicem matrem matronam.

Qeco..

Qeconomam eximiam sapiebat ab eadē mēdōcta ejusdem
mores vitam & virtutes æmulabatur; Nam ut in
veteri dicitur versu :

Aūtingenq[ue] Q[uo]d mēdōla a[m] uēlkes nāgēmūr ēnēgē.

Protinus apparet quæ plantæ frugifera sint futura:

Erat ex isto virginum genere, quæ ut Tertullianus ait,
de simplicitate promunt candorem, de pudicitia pudorem,
oculos pingunt verecūdia, manus habēt laniis occupatas,
corpus vestitum serico, probitatis, byssō sanctitatis, pur-
pura castitatis; Cum Phydiaca Venere cochlearē insiste-
bat, cum Chinensibus puellis domi se continebat, deni-
pue omnes virginales virtutes in pluribus diversim lau-
datae, in URSULÆ nostræ tenellulæ pectore peculiare si-
bi metatæ erant domicilium: Hisce velut armis munita
hisce amuletis instructa non diræ mortis, sed sævi & tru-
cis Mavortis violentiā extimuit, & no bilissimaru[m] Roma-
narū viraginū à Mario devictarum Exemplo, ceteries mori
quā hujus insidias & pericula experiri maluit: Unde cum
hæc Urbs militum copiis inopinato cincta ante paucos
dies appareret, illa dubia mente, quem exitum res sorti-
tura esset agitans, lorica fidei & galea spei animum ar-
mavit, vera fiducia precibus piis ad JEHOVAM se con-
vertit & fulgura imminentia vaticinico quasi spiritu præ-
sagiens mortem sibi subinde malorum omnium termi-
num optavit, virginitatem suam sponso cælesti dicavit,
a quo uti adamata, ita & exaudita fuit, Consterna-
tioni etenim dicto inopinato casu conceptæ, ipso die Si-
monis Judæ se sociavit Febris acutissima adeo vehemens
& enormis, ut intra quatriduum vires omnes collabe-
rentur: Virgunculæ hæc blandula licet propagines se-
ræ posteritatis mundo huic polliceri videretur, ea ta-
men mortem imminere advertere eam non expavit vel

A. 3.

cissus.

refugere sategit, nec deliciis terrestribus illecta moras
mexuit, nec Exemplo Jepthes ad virginitatem deflen-
dam sibi inducias indulgeri petiit, nec Colchidos her-
bam aliudve Æsculapij cuiusdam panchreston sibi por-
rigi petiit, sed sponso cœlesti copulari desiderans animæ
Medicum adscivit, cum eodem de contemptu mortis e-
jusq; aculeis retundendis mascula constantia & pientif-
sima devotione contulit, psalmos, preces & sacræ scri-
pturæ dicta complura à Spiritu Sancto suggesta inge-
minavit, animam suam salvifico alexipharmaco corpo-
ris & sanguinis Christi refocillatam ad felicem ex hoc
gurgustio exitum properantem, optimo viatico instru-
ctam primo hujus Mensis die circa inter 9. & 10. noctis
placide obdormiscens Christi meritum subinde incipi-
scens creatori suo veluti reposcenti creditori reddidit
& Cygneam hanc cantionem Davidicam repetendo,
Domine in manus tuas commendò spiritum meum, re-
demisti me D E U S veritatis, pie exspiravit: Parentes
superstites filiam hanc senectutis adrepentis Scipio-
nem, familiæ fertilem plantam fore sperabant, eandem
ante tempus in ipso flore decerptam sibi acerbe luge-
ant, quis est nisi ~~αστρα~~ qui miretur? Quivis enim
in simili crucis schola edoctus verum illud Publij Mimi
esse intelligit, toties hominem mori quoties amittit
suos. Ast nemo non Christianus ex verbo Dei didicit
ea lege liberos nobis dari, ut pro dantis arbitrio & con-
silio reddantur & insuper nomen Domini cum Joboi-
sto perpeccitio laudetur. Cum Rege Davide itaque
pij parentes filiam, quam morituram flebant, mor-
tuam alterius non lugebunt; Flebant enim ne sibi cri-
peretur, sed jam creptum merito flere desinunt, quam
cum

cum Deo esse & æterna felicitate potiri sciunt: Et certe
quid est quod tantopere mors hæc parentes angat? Quocunque enim se convertunt, sentinam & malorum omnium amurcam in ultimum hocce seculum confluisse animadvertisse, ubivis direptiones depopulationes, carnificinæ audiuntur, pixide illa nunc Pandoræ aperta ~~nangā~~ ~~λύγη~~, sola relicta spe, totum occuparunt orbem: Beatæ animulæ si fandi potestas nunc daretur non illud amplius Polycarpi, O D E U S in quæ nos reservasti tempora, sed illud, O D E U S quibus me liberasti temporibus, inclamaret & parentes hac voce consolaretur: O parentes, qui me genuistis & vitalem auram haurire fecistis, nolite irrito dolore vos macerare & nimio luctu cor exedere, cogitate quæ so paucos post dies vos insecuruos, nolite mihi transitum per vitæ hujus pelagus celeriore ulterius invidere: A vobis porro Cives Academicæ, quid hoc programmate contendam non est multis quod explicem, invito vos ad sacrum virginale non nuptiale sed Exequiale, Virginem vobis commendo non deformem vel monstrosam, quædam spinturnicem cernuam vel pitheccum non Pollam, non Calphurniam vel Xantippem quandam sed pulcherrimam castissimam pudicissimam oculis olim nigricantibus nunc clausis, genis rubicundis nunc pallidis ore suavi nunc tacito, vos compellantem & debita justa, non Chœreas, lusus sed nærias & Christianas exsequias sibi solvi petentem. Hanc ut fronte pudicæ gestu modesto, comitate insigni præditam vivam lubenter salutastis, ita nunc, exsanguem exanimem aet stolâ candidâ amictam, æternæ vitæ candidatam, funebri lesso & honore ultimo prosequamini.

Ite.

Ite itaq; Civis Academicie exsequias hora med. prima
in templo Mariano convenite, quod vobis aliquando
dependi cupitis lubenter & dolenti animo prius per-
solvite, adversus mortis impetus inopinatos vos arma-
te utramque in hac civita Republicam D E O com-
mendate, cundem pro pace publica redintegranda
precibus piis invocate. P. P. Rostochij 4. Novembris
Anno M. DC. XXVIII.



col




Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn770852688/phys_0016](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770852688/phys_0016)

DFG

cum Deo esse & æterna felicitate potiri
quid est quod tantopere mors hæc.
Quocunque enim se convertunt, sen-
rum omnium amurcam in ultimum
confluxisse animadvertisunt, ubivis di-
pulationes, carnificinæ audiuntur,
Pandoræ aperta nangè Ægypta, sola relicta
cuparunt orbem: Beatæ animulæ si fan-
daretur non illud amplius Polycarpi, C
nos reservasti tempora, sed illud, O D.
liberaisti temporibus, inclamaret & par-
consolaretur: O parentes, qui me ger-
auram haurire fecistis, nolite irrito dolo
& nimio luctu cor exedere, cogitate quæ
dies vos insecururos, nolite mihi tra-
hujus pelagus celeriore ulterius invi-
porro Cives Academici, quid hoc pro-
tendam non est multis quod explicem
sacrum virginale non nuptiale sed Exeq.
vobis commendo non deformem vel m-
dam spinturnicem cernuam vel pitho-
lam, non Calphurniam vel Xantippe
pulcherrimam castissimam pudicissima
nigricantibus nunc clausis, genis rubic-
lidis ore suavi nunc tacito, vos compell-
ta justa, non Chreas, lusus sed nænia
exsequias sibi solvi petentem. Hanc u-
gestu modesto, comitate insigni prædicta-
ter salutastis, ita nunc, exsanguem exar-
candidâ amictam, æternæ vitæ candidata
& honore ultimo prosequamini.



the scale towards document